NOS

FR. GERARDUS FRANCISCUS TIMONER III

SACRÆ TEOLOGIÆ PROFESSOR
AC TOTIUS ORDINIS PRÆDICATORUM
HUMILIS MAGISTER ET SERVUS

LITTERAE CONVOCATIONIS AD PROXIMUM CAPITULUM GENERALE

Prioribus provincialibus et conventualibus
omnibusque singulis Fratribus, Monialibus et Sororibus
una cum omnibus membris Familiæ S. Dominici

SALUTEM ET BENEDICTIONEM

Capitulum Generale Electivum anno MMXIX, in regione sacræ prædicationis conventus Sancti Martini de Porres Biên Hòa in Vietnam celebratum, statuit sub n. 446: *« We declare that the next General Chapter, which will be a chapter of Definitors, will be celebrated in the province of Mexico, in July–August 2022, the exact date to be fixed later. »*

Cum igitur ad nos pertineat Capitulum Generale convocare (cf. LCO 413, II), presentibus litteris ipsum convocare decernimus.

Itaque, auctoritate officii mei, Capitulum Generale Diffinitorum indico a die XVI mensis iulii, a.d. MMXXII, in civitate Tultenango (Mexico).

1. Omnes fratres capitulares a die XVI mensis iulii in dicta civitate adsint. De hora adventus Secretarium generalem capituli moneant et litteras testimoniales afferant.

> Ad maiorem claritatem circa vocales proximi Capituli Generalis Diffinitorum celebrandi, referimus LCO 408:
>
> "In capitulo generali diffinitorum coadunantur et vocem habent:
> 1° magister Ordinis;
> 2° ex-magistri Ordinis;
> 3° diffinitores a singulis provinciis electi;[1]
> 4° delegati a singulis vice-provinciis electi;[2]
> 5° delegati vicariatuum provincialium, selecti ad normam n. 409-bis, exclusis vero vicariis provincialibus;
> 6° ex fratribus directe assignatis conventibus sub immediata iurisdictione magistri Ordinis, unus delegatus si cuncti frates professi sint minus quam centum, duo vero si sint centum vel plus, selecti ad normam n. 409-ter."[3]

---

[1] Iis exceptis de quibus in LCO 258 § I, scilicet: Romanæ S. Catharinæ Senensis, Neerlandiæ, S. Alberti magni Germaniæ superioris et Austriæ, Fratris Bartolomæi de las Casas in Brasilia, Annuntiationis BMV in Helvetia, S. Vincentii Ferrer in Centro-America.

[2] Atque a provinciis de quibus in LCO 258 § II, scilicet: Romanæ S. Catharinæ Senensis, Neerlandiæ, S. Alberti magni Germaniæ superioris et Austriæ, Fratris Bartolomæi de las Casas in Brasilia, Annuntiationis BMV in Helvetia, S. Vincentii Ferrer in Centro-America.

[3] In die convocationis, 93 fratres hoc modo assignati sunt; delegatus eorum igitur unus est.

2. Ad normam LCO 409-bis, Consilium generalitium disposuit ut hac vice provinciæ quæ sequuntur delegatos de quibus in LCO 408, 5° ad Capitulum mittant, videlicet: Franciæ, Dominæ Nostræ de Rosario, S. Dominici Canadensis, Assumptionis BMV in Australia et Nova Zelandia, et Reginæ Martyrum in Vietnam.

3. Die XVII mensis iulii, Capitulum incipiet cum celebratione Missæ de Spiritu Sancto. Suffragio lato de modo procedendi (LCO 417 § II, 1) fratres capitulares, ante initium laboris commissionum, statuant de calendario et de horario.

Valde desiderabile est ut Capitulum exitum suum attingere possit die VIII augusti, in qua festum Sancti Patris Dominici celebretur. Capitulum tamen diem suam finalem determinabit.

4. Sicut iam in precedentibus Capitulis generalibus factum est, eo præsertim fine ut expensis parcatur, socios Diffinitorum libenter dispenso quominus ad Capitulum accedant.

5. Secretarius generalis Capituli, ad normam LCO 414, institutus est fr. Armando Héctor Reyes Vásquez, ex provincia S. Iacobi in Mexico.

6. Fratres capitulares utentur lingua latina, anglica (English), gallica (français) aut hispanica (español).

7. Quorum est petitiones vel quæstiones Capitulo proponere (cf. LCO 415 §§ II et III), ante diem XVII ianuarii MMXXII (LCO 415 § IV, 1°) et quidem forma in LCO præscripta (LCO 415 § IV, 2°) eas ad Curiam generalitiam mittant, ita ut quam primum singulis vocalibus Capituli communicentur et Magister Ordinis opportunas commissiones pro diversa materia instituat (LCO 415 § V, 1°).

8. Omnibus fratribus, monialibus, sororibus nostris et laicis commendamus ut preces pro bono exitu Capituli ad Deum fundant, nostræ liturgiæ facultatibus fruentes,

- *in Missa conventuali*: *Missæ* pro variis necessitatibus ex Proprio Ordinis (Pro Capitulo vel Concilio, Pro Conventu spirituali vel pastorali) vel Missæ pro variis necessitatibus vel ad diversa ex Missali Romano (Pro Concilio vel Synodo, Pro evangelizatione populorum, In conventu spirituali vel pastorali); Missæ votivæ (De Spiritu Sancto, De Sancto Patre nostro Dominico ex die 8 Augusti); orationes fidelium;
- *in Liturgia Horarum:* intentio specialis in precibus ad Laudes et Vesperas;
- *in orationis coadunationibus*.

Valete in Domino. Peramanter benedictionem S. P. Dominici vobis impertimus, atque nos et socios nostros una cum ceteris Curiæ Generalitiæ membris vestris precibus commendamus.

Datum Romæ, ex Curia Generalitia, apud Sanctam Sabinam, die III mensis novembris a.d. MMXXI, in festo S. Martini de Porres.

ORDO PRÆDICATORUM CURIA GENERALITIA

fr. Gerard Francisco TIMONER III, O.P.
Magister Ordinis

fr. Jean-Ariel BAUZA-SALINAS, O.P.
a secretis

Prot. n. 50/20/485 Mexico 2022